

**Caput III: Diversae formae syllogismi.**

1. *Enthymema* (ἐνθύμημα) est syllogismus abbreviatus, qui unam praemissam omittit, quae facile subintelligitur. Maior est omissa, si in praemissa addita est subiectum conclusionis; minor, si adest praedicatum conclusionis. Sic in enthymemate:

Debemus proximos amare (= proximi amandi sunt), quia (proximi) fratres sunt, maior est omissa;

                      quia fratres amandi sunt, minor est omissa.  
Exprimitur enthymema vel duabus propositionibus, ut supra, addita ratione per particulias: quia, nam, enim etc.; vel etiam una propositione aperte vel occulte composita vel complexa: Proximi, fratres (qua fratres), amandi sunt.

Si neque subiectum neque praedicatum conclusionis in ratione addita apparet, est syllogismus hypotheticus: Sol stat, quia terra movetur.

2. *Epicherema* (επιχείρημα = manus potenter incere) est syllogismus, cuius maior vel minor habet rationem annexam; unde constat per se ex pluribus syllogismis:

Ens simplex est per se incorruptibile; non enim potest in partes dissolvi;

Atqui anima humana est ens simplex, quia cogitat;  
Ergo anima humana est per se incorruptibilis.

3. *Polysyllogismus* est argumentatio, in qua unius syllogismi conclusio fit praemissa sequentis:

1. Ens simplex non habet partes;  
Atqui anima humana est simplex;  
Ergo anima non habet partes.
2. Quod non habet partes, dissolvi nequit;  
Atqui anima humana non habet partes;  
Ergo anima dissolvi nequit.
3. Quod dissolvi nequit, est incorruptibile;  
Ergo anima est incorruptibilis.

Ut ex argumentatione apparet, minor syllogismorum intermediorum, quae est conclusio syllogismi antecedentis, brevitatis causa saepe omittitur, quia facile subintelligitur.

4. *Sorites* (σωρέτης). a) *Notio*: Sorites est argumentatio, in qua plures syllogismi ita sunt coniuncti, ut minoribus et conclusionibus intermediis omissis, praedicatum propositionis praecedentis fiat subiectum subsequentis et in conclusione subiectum minoris primi syllogismi coniungatur cum praedicato ultimi syllogismi. Quare sorites tot continet syllogismos, quot habet praemissas minus una; prima

enim est minor primi syllogismi; aliae vero omnes sunt maiores syllogismorum. Patet ex hoc, soritem esse polysyllogismum abbreviatum. Sic polysyllogismus, supra pag. 68 propositus, potest mutari in hunc soritem: Anima humana est simplex — minor.

1. Ens simplex non habet partes,
  2. Quod non habet partes, dissolvi nequit,
  3. Quod dissolvi nequit, est incorruptibile,  
Ergo anima humana est incorruptibilis.
- } maiores.

(b) *Species*: Sorites hic iam ab Aristotele propositus concludit in prima figura et ascendit a subiecto ad praedicatum modo analytico, iuxta hunc modum: A = B; B = C; C = D. Ergo A = D. Inversam eius rationem excogitavit Goclenius Marburgensis († 1628), qui subiectum prioris praepositionis constituens praedicatum sequentis, in conclusione subiectum ultimae praemissae cum praedicato primae coniungit: D = C; C = B; B = A; ergo D = A. Unde procedit modo synthetico a praedicato ad subiectum. Hic tamen modus vix adhibetur.

Ab hoc sorite distinguendus est ille Chrysippi stoici de acervo fluente et ruente, quem Cicero<sup>1)</sup> „vitiosum sane et captiosum genus“ vocat. Vitium vero est in eo, quod terminus medius „uno addito (vel dempto) grano“ semper mutatur, ita ut tandem idem numerus magnus et parvus vocetur. (Cfr. infra de falsa argumentatione.)

c) *Regulae*: 1<sup>o</sup> Nulla praemissa sit *negativa* praeter ultimam. Si enim e. g. penultima praemissa esset negativa, etiam ultima inde derivata deboret esse negativa. Iam vero ex duabus praemissis negativis nil concludi potest (reg. VI). Si vero ultima sola est negativa, conclusio erit negativa. 2<sup>o</sup> Nulla praemissa sit *particularis* praeter primam. Omnes enim termini praeter subiectum praemissae primae sunt termini medii simulque subiecta praemissarum. Atqui terminus medius non bis singularis esse potest (reg. IV). Quum igitur sit particularis in prioribus praemissis affirmativis, debet esse universalis in aliis praemissis, cuius est subiectum; unde illae praemissae sunt generales.

5. *Dilemma*. a) *Notio*: Dilemma (syllogismus cornutus) est argumentatio, in qua ex duobus vel pluribus disiunctive propositis aliquid veri vel falsi deducitur. Maior ergo est propositio disiunctiva in forma vel categorica vel hypothetica; minor conclusionem deducit ex omnibus membris maioris; conclusio totam veritatem in maiore propositam vel affirmat vel negat. Unde distinguitur dilemma a syllogismo disiunctivo, in quo unum membrum affirmatur vel negatur, ut alterum excludatur vel ponatur. Membra disiuncta possunt esse

<sup>1)</sup> Acad. II (IV), 16 et 29.

plura, ita ut dilemma, trilemma etc. distinguatur: e. g. S. August. de civit. Dei XXII, 5 et 8: Fides christiana aut cum miraculis propagata est aut sine miraculis; si primum, vera est; si alterum, hoc est maximum miraculum. Ergo in omni casu vera est fides christiana. Vide verba Domini Ioh. 18, 23.

b) *Regulae:* 1<sup>o</sup> Disiunctio sit *completa*; alias membrum omissum addendum est: Sic male quis argueret: Quod quaeris, aut scis, aut nescis. Si scis, non quaeris; si nescis, neque si dixero, cognoscere. Ergo omnis cognitio est recordatio ex vita antemundana. Omissum est membrum: aut poteris invenire. (Ita Meno apud Platонem.)

2<sup>o</sup> Illatio ex singulis membris sit *legitima*. Sic argumentatio Chalifae Omaris (comburentis bibliothecam Alexandrinam) non valet: Bibliotheca illa aut concordat cum Korano aut non; si primum, inutilis est (est falsa illatio); si secundum, periculosa est (supposita veritate Korani!). Ergo . . .

3<sup>o</sup> Ne sit *reciproca* disiunctio, ita ut retorqueri possit. Sic peccat celebre illud dilemma sophistae Protagorae eiusque discipuli Euathli de mercede condicta disputantium.<sup>1)</sup>

## Pars secunda: De formis compositis cogitandi.

### § 1. De divisione.

Cognitio nostra ab initio est obscura et confusa, unde oportet eam mentis reflexione ontologica perfectam reddere. Hoc fit idearum tum quoad comprehensionem tum quoad extensionem divisione, qua quibus notis constent, et quoisque se extendant, innotescat.<sup>2)</sup> Peracta hac divisione rei definitio formatur, qua scientifica eius cognitio absolvitur.

I. *Divisio eiusque partes:* *Divisio* igitur est totius in suas partes *distributio*. *Totum* vero illud vocatur, quod est unum et ex partibus unitis constat. Unde requiritur ad rationem totius: a) aliquid aliquo modo unum; nam si sunt plura, non potest esse sermo de re certa et determinata; b) ut constet partibus; nam ens simplex, licet sit unum, non potest proprie vocari totum; c) ut illae partes sint unitae; secus enim res non iam est una, sed plura. Totum igitur illud est, cui nil deest eorum, quae debet habere. Potest ergo in partes dividi, ex quibus constat, et ex eis iterum reconstitui.

Hoc modo etiam termini totum aliquod constituant tum in se i. e. ut voces, tum quoad ideas expressas, quia exhibent unam ratio-

<sup>1)</sup> Cfr. Hagemann, Logik, 1879<sup>4</sup>, § 29. <sup>2)</sup> Cfr. Wundt, Logik, 1897, II, 1. Abt. p. 47 sq.

nem obiectivam, quae vel intrinsece (quoad comprehensionem) vel extrinsece (ratione extensionis) in partes dividi potest. Terminii igitur dividi possunt:

1<sup>o</sup> Quoad *vocem*, si eius significaciones distinguuntur, ne aequivoce fiat; et vocatur proprie *distinctio*: Gallus, sanus, natura, principium etc.

2<sup>o</sup> Quoad *rem expressam*; et hoc dupli modo: a) ratione *objectionis formalis*, i. e. *comprehensionis*, b) ratione *objectionis materialis*, i. e. *extensionis conceptus*; prior divisio vocatur *partitio*, altera proprie *divisio*. Totum illud, quod constituitur comprehensione idearum, est *totum reale seu actuale*; quod vero extensione efficitur, vocatur *logicum (potentiale)*.

II. *Totum eiusque partes.* 1<sup>o</sup> *Totum reale* est illud, quod in se unum est ac partibus realibus constat. Iterum dividitur in *totum metaphysicum* et *physicum*; *metaphysicum* est, quod constat partibus metaphysicis, i. e. quae ratione distinguuntur idque cum fundamento in re, licet a parte rei non sint distinctae; sic homo ut *totum metaphysicum* constat animalitate et rationalitate. Hoc modo conceptus nostri constituant *totum metaphysicum quoad comprehensionem*. *Totum physicum* est, quod constat partibus realiter distinctis ante omnem mentis operationem; sic homo ut *totum physicum* constat ex corpore et anima.

2<sup>o</sup> *Totum physicum subdividitur in essentialia*, quod constat partibus *essentialibus*, quae rei tam necessariae sunt, ut una sublatas pereat; e. g. *corpus* et *anima* in *homine*; et *integrale*, quod constat partibus, quae pertinent ad rei integratatem, i. e. naturalem perfectionem. Hae partes integrantes possunt esse *homogeneae*, si sunt eiusdem naturae ac *totum* (*lapides*, *crystalla*); *heterogeneae*, si sunt diversae naturae (*membra*, *organa*). Nonnulli addunt *totum accidentale*, quod constat partibus solum *accidentalibus*, quae tamen *totum* iam supponunt; unde non est propria divisio *totius physici*. Ad *totum physicum* reducitur *totum articiale*, *totum morale*, *totum aggregationis*, quae cum toto naturali physico tantum analogice convenient. Aliqui cum S. Thoma<sup>1)</sup> addunt *totum potestativum* vel *potentiale*, quod est *totum* in partibus, sed non totaliter: *anima* in *intellectu* et *voluntate*; *hoc totum* inter *essentialia* et *integrale* medium est.

3<sup>o</sup> *Totum logicum* est illud, cuius partes in se, i. e. realiter non constituent unum, sed per modum unius a mente cogitantur. Haec unitas proprie invenitur in conceptibus nostris universalibus quoad extensionem, quia sub una ratione communi comprehendunt plura, immo infinite multa individua, quae vocantur *partes subjectivae*, quia

<sup>1)</sup> S. Theol. I, qu. 77 a. 1 ad primum.